

Tam vigilantī itaque studio, quod aggressus fuerat, amplecti cepit, ut omnes eum, tam dominus abbas quam etiam ceteri fratres et sorores, miro affectu venerarentur. In scripturis sanctis, quas semper amabat, iugi meditationem¹ invigilabat, orationi ferventer instabat, quas pro summis deliciis amabat, assiduis lectionibus cunctos edificabat. Unde factum est, ut fumus optimi odoris ab ipso undique procederet, dum specialem gratiam quam a Domino in clara scientia acceperat, omnibus ad se venientibus infatigabiliter est inpertitus, divini verbi pabulo eos pie reficiens, et consolacione benigna cunctos confortans, ex eo quod de ipso neque profunda neque alta sapere nec alta perscrutari valebant, ad dilectionem ipsius et pie matris eius mirifice accendit, sicut optime in sermonibus ipsius et in libellis, quos de ipso domino Iesu et ipsius pia matre edidit, evidenter perspicī potest. Cuius cor non accendatur ad dominum Iesum in dulcedine verborum illius libelli qui intutatur² 'Stimulus dilectionis'? Quem illa eius melliflua verba, que ad ipsum Dominum de sua sacra humanitate nec non de ipsius beata passione et resurrectione in ipso libello protulit, ad lacrimas non emolliatur³? Ignitam cordis eius dilectionem ad ipsum dominum Iesum quis non admiretur, in verbis illius in quibus ad ipsum ardentissimo desiderio proclamavit in alio libello sic dicendo 'Verbum inest ad te, o rex seculorum Christe Iesu'⁴? Sed et elegantiam sermonum eius de ipsius pia matre qui legit, non excitet⁵ ad diligendum eam, de evangelio videlicet Luce 'Missus est Gabriel angelus', et de cantico 'Magnificat', quod ipsa in Spiritu sancto pronunciavit? Sed et alia plura et innumerabilia que de ipso et de ipsa ad laudem et gloriam eorum ad multorum edificacionem conscripsit quis dinumeret, in quibus suum intimum affectum, quem ad ipsum et ad ipsam habuit, omnibus in palam protulit et multos post se ad sui imitacionem traxit? In omnibus his Pauli verbis poterat dicere vir iste per omnia laudabilis; 'Imitatores mei estote, sicut et ego Christi'. Re etenim vera notum est omnibus qui eum noverant, multos post se et sermonibus et piis moribus fideliter traxisse, dum laudabilem vitam in ipso cernebant, in qua usque ad terminum vite sue ipsi Domino, quem toto corde diligebat, sine querela famulabatur. Cum autem appropinquaret tempus, quo predictus abbas dominus Hildelinus iam se ab hac vita speraret cito decedere, rogabat sepius iam dictam virginem sanctam Elisabet, ut a Domino impetraret, ut ostenderet ei, qualem mercedem pro laboribus suis esset consecuturus a Domino. Que cum

1) Lies 'meditatione'. W. 2) Wohl 'intitulatur' zu lesen. 3) Lies 'emolliant'. W. 4) Die sonst als 'Meditationes' bezeichnete Schrift. Die denselben angehängte Dichtung mag der 'Stimulus amoris' sein. 5) Lies 'excitetur'.